

THESIS XIV.
(q. LXXXIV. a. 1.)

Cum quaestio sit inter Theologos utrum actus aliqui poenitentis sint materia ad essentiam Sacramenti poenitentiae spectans, et simul cum absolutione constituent unum totale signum efficacae remissionis peccatorum, utrique sententiae suam plus minus competere probabilitatem censemus.

I. Probavimus sententiam iudicalem absolutionis esse efficacem remissionis peccatorum. Haec autem sententia non fertur nisi super poenitentem, et existentibus actibus poenitentis, puta *confessione dolorosa*. Quaestio exinde oritur inter Scholasticos Theologos: utrum actus poenitentis concurrant simul cum absolutione Sacerdotis ad gratiam Sacramentalem producendam. Quaestio ita quoque a Theologis proponi solet: utrum actus poenitentis sint pars essentialis constitutiva Sacramenti poenitentiae; quamvis secundum quosdam hoc alterum a priori non nihil differat: verum ex ipsa disputatione res clarius elucescent.

Quaestio itaque non est simpliciter utrum actus poenitentis sint necessarii Sacramento, sed est utrum sint pars *essentialis* seu *intrinsece constitutiva* eiusdem, non secus ac e. g. ablutio est pars essentialis, constitutiva Sacramenti baptismi.

II. Partem affirmantem tumentur plures Scholastici iique nobilissimi, inter quos s. Thomas heic a 1. ad 1.^m « Actus exteriores sensibiles ita se habent in hoc sacramento sicut aqua est in baptismo vel crisma in confirmatione. . . . In iis sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiae, ut accedit in poenitentia et matrimonio ». Quod iam docuerat in 4.^m D. 17. q. 3. a. 3. ql. 2. ad 1.^m « Dicendum quod in Sacramento Poenitentiae non solum est aliquid ex parte ministri sicut absolutio et satisfactionis iniunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, sicut contritio et confessio ». Ita Canus Relect. De Poenit. p. 5. in quinto fundamento ad argumentum Scoti (cf. tamen ibid. p. 6. q. 15). Bellarminus De Poenitentia L. I. c. 15; Suarez Disp. XVIII, Sect. 2; Lugus Disp. XII. Sect. 2; Maurus Tom. III, q. 225; Simonet. Instit. Theolog. Tract. XV. D. 1. a. 4. alique.

Argumenta partis affirmantis haec sunt. a) Ex doctrina Eugenii IV in Decreto pro Armenis « omnia Sacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona

ministri conferentis Sacramentum. . . . quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum ». In eodem decreto actus poenitentis dicuntur esse *quasi materia* Sacramenti poenitentiae. Idem docet Synodus Tridentina Sess. XIV, cp. 3. quae actus poenitentis vocat etiam *partes* Sacramenti Poenitentiae. Iam vero ex his constat quod actus poenitentis sunt pars Sacramenti: quod autem sint pars essentialis patet ex eo quod ii se habent tanquam materia; porro materia est pars essentialis illius compositi, quod cum forma constituit, hoc autem compositum heic est Sacramentum. Neque dicas vocari actus *quasi materiam*; nam quaecumque sit vis illius voculae diminutivae (si talis est) *quasi*, ea efficere nequit ut actus non sint materia, nam secus neque essent actus partes Sacramenti, quod tamen diserte docemur a Patribus Tridentinis: porro, si materia Sacramenti sunt, hoc ipso sunt pars eius essentialis.

Sane b) Actus poenitentis vel sunt materia *circa quam*, vel sunt materia *ex qua* est Sacramentum. Atqui evidens est eos non esse materiam *circa quam*. Nam si essent materia *circa quam*, totum Sacramentum esset absolutio, ideoque essent actus materia *circa quam* versatur absolutio. Atqui evidens est absolutionem non versari *circa* actus poenitentis, sed *circa* peccata; ab his enim absolvit, non a contritione aut confessione. Restat ergo ut actus sint materia *ex qua* est Sacramentum. Materia autem *ex qua*, si pars est, est pars essentialis constitutiva eius, cuius est pars.

c) Sententia absolutionis est actus iudicialis, quae proinde ferri nequit ad libitum, quemadmodum posset simplex collatio alicuius favoris, sed ferenda est ritu iudiciali, h. e. accusatore aut reo se sistente tribunali officiumque iudicis postulante: id autem fit sensibili actu poenitentis se reum confitentis et petentis absolutionem: ergo. Cf. Lugus. Disp. XVII, Sect. 3.

Sane iudicium est discussio et definitio causae in foro coram iudice et a iudice rite facta. Ad ipsum vero requiruntur tres personae, iudex, actor, reus, vel saltem duae, si actor et reus in unam personam possint convenire. Cum ergo iudicium in actionibus consistat, quae ipsius ritum constituunt, eae actiones essentialis erunt iudicio, quibus discussio et definitio causae fiat oportet. Iam vero discussio causae in foro interno fit mediante ipsius rei accusatione; quae praeterea dolorosa esse debet seu cum dolore coniuncta, ut sententia absolutionis in confitentem ferri possit; repugnat enim absolvi impoenitentem. Igitur ex Christi institutione ritus Sacramenti poenitentiae talis est ut eius sint elementa essentialia quidam actus poenitentis: quia sine confessione non est discussio, confessio vero sine dolore non est actus poenitentis; poenitentia enim est formaliter

ipse dolor, ideoque confessio sine dolore non est actus ille, qui in hoc Sacramento requiritur. Quare huiusmodi actus poenitentis non se habent tantum quemadmodum dispositiones suscipientis ad alia sacramenta, quae sunt extrinsecae ritui, quo Sacramentum administratur, sed ipsum ritum, sine quo essentia Sacramenti esse nequit, intrinsece ut partes eius constituunt. Ergo.

d) Hoc Sacramentum dicitur et est Sacramentum *poenitentiae*, vel simpliciter *poenitentia*; atqui sacramenti appellatio non desumitur nisi ab aliquo, quod ei sit essentialis, porro poenitentia non nisi in actibus poenitentis consistit; necesse est ergo ut actus isti ad eius essentiam spectent, secus non esset ratio cur ab iis et quidem in recto appellaretur: quemadmodum primum Sacramentum dicitur *lavacrum* vel *baptismus*; quia ablutio est eius pars essentialis. Item dicimus quoque *Sacramentum Confessionis*, ex qua appellatione idem argumentum colligi potest.

e) Praeter haec, quae communiter afferuntur, liceat nobis haec alia addere. Illud certe est pars essentialis Sacramenti, quod est subiectum virtutis et efficaciae Sacramentalis; Sacramentum enim est signum efficax: atqui in Sacramento poenitentiae non est sola forma quae sit efficax; ergo est aliquid aliud praeter ipsam et cum ipsa, hoc autem nequit esse nisi materia, quae sunt actus poenitentis. Probat minor ex Tridentino Sess. XIV, cp. 3. « Docet S. Synodus Sacramenti Poenitentiae formam, in qua *praecipue* vis eius sita est, in illis verbis positam esse etc. » Si *praecipue*, ergo non totaliter in absolutione est vis Sacramenti; ergo et materia participat vim Sacramenti.

Et sane vel ideo dicitur vis Sacramenti *praecipue* sita esse in forma ipsius, quia actus aliqui poenitentis tanquam materia causaliter concurrunt ad effectum Sacramenti, vel quia iidem actus sunt conditio extrinseca quidem causae effectus Sacramentalis, sed sine qua tamen vis Sacramentalis exeri nequit. Atqui hoc alterum admitti nequit; ergo primum. Probat minor. Nam si haec est ratio cur vis Sacramenti dicatur sita *praecipue* in forma, quae tamen est totum Sacramentum; pari iure dici poterit quod vis baptismi sita est *praecipue* in toto ritu constante ex verbis: Ego te baptizo etc. et ablutione, et ita porro in aliis Sacramentis, quia et in iis si debita dispositio subiecti desit, Sacramentum nihil facit. Nemo autem feret hunc loquendi morem quoad cetera Sacramenta. Et quidem merito. Dispositiones enim subiecti non sunt ex parte causae agentis; et hoc est commune omni causae activae in subiecto, ut subiectum dispositum supponat, quamvis vis agendi tota sit a causa. Cum ergo nequeat dici quoad alia Sacramenta quod vis eorum sita est

praecipue in ipsis, sive in eorum materia et forma quibus essentialiter constant, eo quod dispositiones subiecti requiruntur; ita, si absolutio est tota essentia Sacramenti, nequit dici quod vis eius sit *praecipue* in forma, eo quod dispositiones exiguntur ex parte subiecti, sed dicendum est simpliciter quod *totaliter* vis Sacramenti est in absolutione, sicut totaliter vis Sacramentalis regenerandi est in materia et forma baptismi.

f) Item (quod vir doctus me monuit) in Sess. XIV. Trid. Syn. c. 2. « Sacramentum poenitentiae dicitur differre a Sacramento baptismi secundum materiam et formam, quae sunt de essentia Sacramenti » scilicet cuiuslibet Sacramenti. Ergo aliqua materia spectat ad essentiam Sacramenti poenitentiae; quae quidem materia non nisi in actibus poenitentis sita esse potest.

g) Tandem negari nequit quod actus poenitentis aliquid efficiant ex opere operato. Nam certe satisfactio, quae peragatur etiam post acceptam absolutionem, ex opere operato concurrat ad remissionem poenae, quae effectus est et ipsa Sacramenti integre accepti. Cur ergo et alii actus poenitentis necessarii magis non concurrent ad effectum sacramentalem producendum, ad quem ordinantur, qui est ipsa gratia et remissio culpa?

III. Oppositam sententiam defendit Scotus in III. D. XVI. q. 1. inquit quod « haec tria contritio, confessio et satisfactio nullo modo sunt partes Sacramenti Poenitentiae ». Vult autem dicere Doctor subtilis quod actus poenitentis non sunt partes intrinsece constitutivae Sacramenti, h. e. illius ritus, quod est signum efficax gratiae, sub hoc enim formali conceptu Sacramentum accipitur. Auctores qui praeterea pro ea citantur, videsis penes cl. P. Ballerini De Sacram. Poenit. n. 414. in nota. Argumenta pro hac sententia haec sunt.

α) Solus Sacerdos est minister huius Sacramenti: at si partes essentialis Sacramenti essent quoque actus poenitentis, hic simul cum Sacerdote esset minister Sacramenti.

β) Tota significatio huius Sacramenti sita est in forma; nam haec significat remissionem iudicalem peccatorum, haec autem est totus effectus huius Sacramenti: ergo et tota quoque efficacia Sacramenti posita est in forma; illud enim est efficax, quod significandi vim habet; nam illud fit quod significatur.

γ) Et re quidem vera si etiam actus poenitentis concurrunt partialiter ad remissionem peccati, Sacerdos absolvens erit causa remissionis tantum partialis; atqui id primo repugnat naturae sententiae iudicialis, quae in quovis foro est sola totalis causa (licet probationes, aliaeque praecedant) effectus legalis: secundo si sacerdos absolvens est solum partialis causa remissionis, non est simpliciter verum illud

quod ipse asserit per verba *Ego te absolvo*, nempe quod ipse peccata remittat; cum ipse non sit sufficiens causa remissionis.

δ) Concilium Tridentinum id tantum docet actus poenitentis spectare ad integritatem Sacramenti, esse partes proinde integrales; cur ergo contenditur eas esse essentielles?

ε) Et sane eodem modo asseruntur a Concilio partes Sacramenti contritio et confessio, ac asseritur satisfactio: at fatentibus ipsis adversariis, satisfactio non est pars essentialis; ergo nec illae priores.

ς) Actus suscipientis Sacramentum se habent ut dispositio removens obicem, sed causalitatem nullam habent ad gratiam sacramentalem gignendam, quam Sacramentum producit *ex opere operato*; atqui si actus poenitentis concurrunt et ipsi ad producendam gratiam, falsa dicenda erit ea theoria de Sacramentorum efficientia ex opere operato. Ergo.

ζ) Tandem (aiunt) certum est posse sacramentalem absolutionem administrari illi quoque, qui nullum signum exterius vel per se vel per alium edit confessionis aut doloris. Cf. s. Alphonsum De Poenit. n. 432. Certum pariter est quod actus poenitentis nequeunt esse materia nisi sint sensibiles: igitur in hac hypothese nulla est *materia ex qua*, et tamen est sacramentum: atqui id fieri nunquam posset, si actus esset pars constitutiva Sacramenti: ergo.

Circa sententiam Scoti advertunt Theologi, quod amplius recipi nequit modus ipsius loquendi; ipse enim ait actus poenitentis *nullo modo* esse partes Sacramenti; Concilium Tridentinum vero vocat eosdem partes Sacramenti: ratio ergo illa loquendi Scoti relinquenda est. Ad rem autem ipsam quod spectat, quandoquidem Scotus concedit et contendit confessionem et aliquem dolorem requiri necessario ut Sacramentum sit et negat tantum actus poenitentis esse partes intrinsece constitutivas Sacramenti seu signi efficaciae gratiae, h. e. negat eos actus habere ullam rationem causae quoad gratiam sacramentalem, hoc autem est adhuc in quaestione positum; sententia eius poterit quidem theologice improbari, at dimittenda est sine censura, praesertim cum realiter non differat, ut videbimus, a sententia plurium, qui partem affirmantem contra ipsum tuentur. Toletus quidem (in q. XC, a. 1.) relata sententia Scoti, qui putat sacramentum esse tantum absolutionem ipsam et negat actus poenitentis esse partes Sacramenti, atque illi opposita sententia Thomae, ait hanc esse definitam in Concilio Florentino et Tridentino. Puto id dicere quoad quaestionem utrum actus sint pars Sacramenti, non vero quoad quaestionem de modo quo partes sint: et praeterea quoad Florentinum constat in ea parte de sacramentis non haberi fidei definitiones.

Itaque si perpendantur argumenta utriusque partis, liquebit po-

tissimam difficultatem in eo esse, nimirum utrum actus poenitentis sint ea materia Sacramenti, quae simul cum absolutione *constituat unum totale signum efficax* ex opere operato *gratiae remissionis*, quemadmodum ablutio simul cum forma baptismi constituit unum totale signum efficax gratiae regenerationis.

Et quidem perpendenti penitus argumenta partis negantis, patebit eius defensores non habuisse prae oculis nisi eos actus qui praerequiruntur absolutioni, quibus dignitatem quidem tribuunt dispositionis necessariae ex divina institutione ad remissionem sacramentalem, negant tamen dignitatem partialis causae concurrentis ex opere operato ad effectum absolutionis. Vim satisfactionis sacramentalis, quae habet effectum proprium distinctum a remissione culpae, h. e. remissionem poenae, quem effectum eam ex opere operato producere non est cur iidem negent, non considerant in hac quaestione hi theologi, neque eorum adversarii eam solent urgere. Quocirca ut secundum statum quaestionis hactenus positum disputemus, considerabimus et nos nunc tantum actus, qui absolutionem praecedunt, visuri deinceps an ex eo quod asserenda sit aliqua vis ex opere operato satisfactioni quoad remissionem poenae, consequens sit eandem vim asserendam esse quoque aliis actibus praecedentibus absolutionem quoad remissionem culpae.

IV. Iam vero ii Theologi, qui contra Scotum affirmant actus poenitentis esse partes essentielles Sacramenti, cum ad quaestionem ventum est utrum actus poenitentis sit ea materia, quae simul cum absolutione constituent unum totale signum efficax ex opere operato gratiae, in duas scinduntur partes. Quidam ex eo quod actus sunt essentialis pars sacramenti negant esse consequens ipsos rationem causae participare ad producendam gratiam, ideoque hoc simpliciter inficiantur; alii vero id concedunt. Qui negant consequentiam, negationem suam probant exemplis, quorum verisimilius est hoc: quemadmodum enim, aiunt, corpus est de essentia hominis, et tamen operatio hominis propria, qualis est intelligere et velle, a solius animae activitate pendet, ita fieri potest ut actus poenitentis tanquam materia ad essentiam Sacramenti spectent, et tamen effectus Sacramenti sit ab efficacia solius formae. Hanc responsionem sufficientem dicit Suarez. Verum huiusmodi exemplum ad rem non facere videtur. Nam eatenus fieri potest quod aliquid sit pars essentialis alicuius compositi, et tamen nullam exerat activitatem quoad aliquas operationes, quatenus sint aliquae aliae operationes, effectus vel proprietates propriae compositi, quae ab ipso pendunt. Ita quamvis corpus non sit principium intelligendi et volendi, est tamen principium aliarum operationum aliorumque effectuum vel proprietatum, quae essen-

tiales sunt homini. Quod si ita non esset, negaremus corpus esse partem essentialem hominis. Ostendant ergo hi doctores quatenam sit activitas, quam in Sacramento, cuius sunt pars essentialis, exerunt actus poenitentis, vel quatenam eiusdem Sacramenti essentialis proprietas sit, quae ab ipsis pendeat. Activitatem profecto ostendere nequeunt, cum omnis activitas in Sacramento, de qua heic sermo esse potest, sit ad producendam gratiam sacramentalem, cuius tamen activitatem hi negant actibus poenitentis. Aiunt ergo per actus poenitentis et nominatim per confessionem constitui Sacramentum in ratione iudicii, quae ratio est ei essentialis, quaeque sine reo eiusque accusatione facta iudici haberi nequit. Hanc responsionem perpendemus postea; nunc satis sit advertere quod per eam conceditur actus poenitentis non esse elementa intrinsece constitutiva Sacramenti quatenus hoc est signum efficax gratiae, ideoque reapse deveniri tandem in sententiam Scoti.

Ratio vero extrinseca, qua moventur hi Theologi ad eam consequentiam negandam, ea est ne videantur negare quod communiter docetur, cum de Sacramentis in genere agitur deque eorum efficientia ex opere operato, scilicet actus suscipientis Sacramenta esse tantum dispositiones removentes obicem, quod certe vidit Bellarminus. In libro enim II De Sacramentis in genere, ubi probat efficaciam Sacramentorum ex opere operato, eamque ita explicat c. 1. ut dicat dispositiones suscipientis non esse causas activas gratiae sed solum tollere obstacula, quae impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam exercere possent; in c. 11. difficultates solvens docet virtutem operativam Sacramenti poenitentiae esse in sola absolutione (quod, ut obiter moneamus, et s. Thomas docuerat in IV. D. XII. q. 2. a. 1.). At lib. I. De Poenitentia cc. 15 et 16. ubi Bellarminus agit de partibus essentialibus poenitentiae et sententiam Scoti impugnat, hac proposita difficultate, respondet duo. Scilicet primo negat consequentiam, secundo dicit quod absolutio est potissima causa remissionis, sed non sola, vimque Sacramentalem residere partim quamvis minus praecipue in actibus poenitentis. Subdit hanc ingenuam confessionem: « Nos in libro II De Sacramentis in genere c. 11. priorem sententiam secuti sumus, sed posteriorem non minus probabilem existimamus, licet ea paulo difficilius defendi posse videatur ».

Qui vero hanc secundam Bellarmini responsionem admittunt, concedentes consequentiam illius prioris argumenti, hoc modo rem explicant. Iubent nempe nos considerare quod poenitentis actus possunt dupliciter spectari. Primo prout praecise procedunt a poenitente se disponente ad effectum Sacramenti, secundo prout a Sacerdote *elevantur* per potestatem clavium ad significationem sacramentalem.

Porro hoc altero modo aiunt eos esse *actu* partes sacramenti, priori vero modo tantum aptitudinaliter, atque ita se habere poenitentem sicut qui ministrat lapides et ligna ad aedificandam domum, Sacerdotem vero tanquam illum, qui ea componit aedificando. Cf. Simonnet et Suarez l. c. Verum id clarius explicari censemus hoc pacto. Scilicet actus poenitentis dupliciter spectari possunt, nempe ut actus sunt per se honesti et meritorii sive de congruo sive de condigno, et ut sunt elementum illius ritus iudicialis, quem Christus instituit pro remissione peccatorum. Haec est ratio specialis ipsis actibus competens eo quod iudici fiunt et uniuntur cum absolutione. Porro et sub hoc respectu actus sunt a Spiritu S. movente, qui eos ordinat ad ritum Sacramentalem. Iam vero actus non participant rationem causae Sacramentalis (cuius causalitas in eo est ut infallibiliter moveat Deum moraliter ad gratiam conferendam) prout sunt actus meritorii, sed prout sunt elementum ritus Sacramentalis; sub hoc nempe respectu movent Deum ad gratiam Sacramentalem conferendam. Unde esse eos actus meritorios se habet materialiter in participatione huius causalitatis; formaliter enim eam participant quatenus sunt intrinseca elementa illius ritus, quem Christus instituit pro remissione peccatorum. Huc redire putamus elevationem illam actuum per absolutionem, de qua Scholastici loquuntur. Perinde se habent idcirco hi actus sicut se habet tactus instrumentorum in ordinatione, qui actus est suscipientis Sacramentum, qui que (in hypotesi qua traditio sit forma essentialis, quae hypothesis certe non repugnat naturae Sacramenti) elementum est intrinsecum signi efficax gratiae; doctrina vero efficientiae Sacramentorum ex opere operato excludit tantum concursum meriti suscipientis ad causandam gratiam.

Ex hactenus dictis habemus duo: non omnes adversarios Scoti ab eo dissentire re: posse defendi sententiam affirmantem, quin negetur veritas de efficacia ex opere operato.

Ut illud prius magis declaretur, en ea explicatio et probatio simul huius causalitatis assertae actibus poenitentis, quam affert Cardinalis Lugus Disp. XII. Sect. 2. Praemittitur causalitatem Sacramentorum non esse positam in efficientia physica, sed morali; unde concludit concedendum esse quod actus poenitentis, qui sunt partes essentialis Sacramenti, causalitatem quamdam exerceant; movetur enim Deus etiam ab illis ad gratiam remissionis conferendam. In quo autem sit constituenda haec causalitas, ita explicat: Nimirum « verba absolutionis non movent nec habent virtutem movendi Deum nisi in quantum sunt verba Sacerdotis loquentis ex delegatione et nomine Christi. Verba autem illa non sunt talia ex se, nec quoties a

Sacerdote proferuntur; si enim confessio nulla praecedat aut nullus dolor, sacerdos proferens verba nihil facit nec operatur nomine Christi; quia Christus non dedit illi potestatem absolvendi aut loquendi eius nomine, nisi in tali casu, quando scilicet praecedit confessio dolorosa. Igitur verba illa in tantum proferuntur heic et nunc nomine Christi, in quantum praecedit confessio et dolor: ab his enim actibus denominantur partialiter verba illa quod sint verba Christi. Si ergo verba illa non movent Deum nisi ut sunt verba Christi, nec sunt verba Christi, nisi quatenus denominantur ab actibus poenitentis, sequitur de primo ad ultimum quod non movent Deum nisi prout denominantur ab actibus poenitentis, ac per consequens ipsos actus poenitentis debere intrare partialiter ad componendum non solum Sacramentum, sed etiam id quod in Sacramento movet Deum in ratione talis motivi, ut constat. Unde partialiter integrabunt virtutem causativam moralem, quae est in Sacramento ».

In hac explicatione duo nobis advertenda occurrunt: 1) eo quod ex actibus poenitentis denominantur partialiter verba Sacerdotis verba Christi et sententia iudicialis efficax, non sequitur quod actus poenitentis integrent virtutem motivam, quae est in Sacramento, seu quod sint pars signi efficacis, pars, inquam, intrinseca determinabilis eius signi, sed solum quod sint conditio ut ea virtus exeri possit, sicut contestatio causae et cetera praecedentia conditio sunt necessaria ut verba iudicis valorem habeant iudicalem. 2) Si efficacia, quae actibus poenitentis tribuitur quoad gratiam sacramentalem, ea est quam Lugus in hac explicatione iis asserit, licebit hanc efficaciam affirmare, et simul manere in sententia Scoti. Nam quo tandem redit haec efficacia? eo scilicet quod absolutio Sacerdotis non est Sacramentum nisi proferatur in poenitentem confessum, quod est satis evidens, cum ea sit sententia iudicialis. Atqui hoc totum et Scotus recipit, qui vult actus poenitentis essentialiter requiri ut Sacramentum existat, h. e. ut verba Sacerdotis sint signum efficax gratiae.

V. Itaque disputando res eo adducta videtur; ut ad caput rei quod spectat, nempe ad efficientiam sacramentalem adserendam vel negandam actibus poenitentis, utraque sententia tum negans Scoti eiusque sequacium, tum affirmans, quoad plures eius patronos, parum vel nihil differre videantur. Quod argumento esse potest sententiam Scoti non esse adeo alienam a veritate.

VI. Conferenti modo utriusque partis argumenta manifestum esse censemus quod argumenta partis affirmantis actus aliquos poenitentis esse de essentia Sacramenti, sunt deprompta ex ipsa essentia rei, et maiori pollent vi demonstrativa quam opposita, si modo paulisper seponas ex istis ultimum. Nec putamus quod aliter resolvi debuisset

quaestio ea aetate, qua nondum evaserat communis vel communior opinio et praxis absolvendi in extrema necessitate etiam eos, qui nullum ederent signum (intelligimus signum quod habeat rationem signi ita ut veluti tale a iudice percipiatur) desideratae absolutionis vel doloris. Cetera enim argumenta pro sententia Scoti facile solvuntur.

Sane ad sextum argumentum petitum ex dignitate Sacramenti, quod agit *ex opere operato* ideoque excludit actus suscipientis a causalitate gratiae sacramentalis, iam factum est satis animadversione superiori, qua distinximus in actibus rationem meriti et rationem ritus.

Item ad quartum et quintum posita in appellationibus quas Tridentina Synodus facit his actibus poenitentis, haud difficilis est adversarii responsio.

Respondent enim 1^o negando quod assumitur. Nimirum obii-cientes nomine *partium integralium* intelligunt eas partes totius, quae distinguuntur a partibus essentialibus et quatenus formaliter ab his distinguuntur; porro negatur hoc sensu locutum esse Concilium. Nam neque Concilium est usum hac phrasi *partes integrales seu integrantes*, quae habet in scholis sensum magis determinatum, cum accipitur in oppositione ad partes essentielles; sed dixit tantum *pertinere ad integritatem Sacramenti*.

Iam vero haec locutio tum de partibus solum integralibus, tum de partibus essentialibus adhiberi potest; recte enim dicitur corpus pertinere ad integritatem hominis, sicut dicitur recte quod anima sola non est integer homo. Pertinere enim ad integritatem alicuius rei perinde est ac ipsam complere; pars vero essentialis complet totum. Itaque ratio loquendi Concilii in hoc loco est huiusmodi, ut non determinet specialiter rationem partis sive essentialis sive integrantis, sed potius ab hac determinatione praescindat. Verum quod aliqui actus sint partes essentielles Sacramenti superius quantum satis est declaraverat, ut liquet ex argumentis a nobis propositis praesertim sub lit. e et deinceps. Ratio vero in promptu est cur dicantur hi actus *quasi materia*; quia nempe non sunt aliquid corporale, sed tamen se habent eodem modo ac materia in aliis Sacramentis. Et sane si non essent vere id quod materia est in aliis, nec absolutio esset proprie forma, quae tamen simpliciter dicitur forma.

Hinc etiam patet cur satisfactio, quae est pars tantummodo integrans, connumeretur cum aliis, quae sunt essentielles: continentur enim omnes sub una ratione communi, quae est *pertinere ad integritatem Sacramenti*, quod heic tantum docere vult Concilium: utrum autem nec ne diverso modo pertineant, id non resolvitur heic a Concilio, sed aliunde petendum est.